778'
160

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis 28 Novembris 1720.

M. GUILLELMO DE MAGNY, DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An quò salacior Mulier, eò fœcundior?

I.

OMNIA verbo potentissimo, *Fiat*, imperante Creatore, erupêre. Involucris omnia viventium germina concluduntur, ne pateant injuriis & speciei spes pereat. Creata à primo puncto temporis in indefinitum contrahuntur in formam tam exilem, ut fugiat ipsam imaginationem; solus novit qui condidit. Arbores, omne ferè genus plantarum embryones emittunt è sinu suo, circumseptos oleosis involucris, ne vehementiori calore arescant, detrita acriori frigore interimantur. Alia pro plerisque animantibus ratio est involucrorum. Latentia altissimis matrum sinubus, nec timent hyemis vim inimicam, nec æstatis urentes æstus; embryones complectuntur membranulæ, plenæ limpido liquore, paulalum viscido, qui aquâ calidâ concrescit: hic fovet tenera membra donec evolvantur: (generatio enim simplex partium evolutio est) : facescit is liquor in primum nutrimentum, primis conceptionis temporibus : adigitur ad fermentationem rore seminali, turgente maximè actuosis spiritibus. Sensim sese explicat minima moles, sensim tubuli in longum, latum & profundum expanduntur, sensim solidius nutrimentum, sanguis maternus, in istos in-

fluit; ſuccus nutritius conflatus ex ſubtilibus ſanguinis partibus, permixto plurimo aëre motuum omnium primo autore, per canales nervorum quoquoverſum diffunditur, adigente durâ meninge: cor & arteriæ pulſant, ſanguinem impellunt ad omnia viſcera, ut variorum humorum incernicula, utilia individuo & ſpeciei. Tandem prodit ob via ſenſibus, infantis machinula, quæ à ſex millibus annorum denſiſſimis tenebris obvoluta deliteſcebat. Suos condidêre vegetabilia, ut faba, quercus, in ligni aut caulium latebris, embryones; excludunt ſuis in fructibus quaſi grandiores, obvios microſcopio. Opportunâ tempeſtate ſemina Telluri creduntur: iſtius explicantur ſales & ſulphura, repreſſa gelu, & frigore concreta, ſolutâ acri hyeme, Zephiris flantibus, ſolis regreſſu, imbribus & rore, fœtis nitro-aëreo ſale, avido terræ ſinu ſuſceptis. Tellus imprægnata & tot bonis dives intumeſcit benignâ fermentatione; intumeſcunt & ſemina quæ recondit. Subſtantiæ quæ modo embryonis tutamen erant, ſolvuntur, ut in primam nutritionem faceſcant; ſic farina frumenti fit liquor lacteus, qui tracheatum ope à radicibus ad verticem aſcendit, foliorum ſtaminibus factus tenuior per corticem redux ad radices circuitum abſolvit, aëre totum miraculum vi elaſticâ patrante. Tenerior alimonia fœtui teneriori congruit, craſſior ſuccedet, canalibus ſenſim factis amplioribus.

I I.

NASCENDI lex una eſt in omni viventium genere; quò ſimplicior, eò dignior ſapientiſſimo Conditore. Nulla ſimplicior partium fœtûs evolutione, latentis ab initio in ovis aut ſeminibus. Stupet imaginatio immensâ, penè infinitâ embryonum tenuitate; ratio emendabit imaginationem. *Ludit in orbe terrarum æterna Sapientia. Magnum & parvum* nihil Dei referunt. Condere poteſt Mundos infinitos in arenulæ granulo. *Dixit & facta ſunt, mandavit & creata ſunt.* Jubeat, ingentes cœlorum orbes in immenſum expandentur. Quis inficiaretur potuiſſe ſpem omnem totius generis humani in ovis primæ parentis concludere? Sapientiæ ejus eſt, legibus ſimpliciſſimis ingentia patrare: ergò concluſit. Craſſa ſunt, indigna Deo hactenùs de generatione excogitata ſyſtemata. Sed audire, id eſt, refellere, operæ pretium eſt Phyſicorum docta deliria. Hic vermes in ſemine microſcopio deprehendit, lapſu præcipiti arguit; ergò, qui vermes apparent, veri ſunt homines. Egregia verò cohærentia! Rectiùs alii dixêre totam ſpem futuræ prolis in ovis contineri, ſed iſti non plus ultrà progrediuntur. Aliis placet animantium corpora ex lymphâ in ovis concluſâ compingi, aliis ex ſanguine menſtruo, aliis ex utroque ſemine. Solida & liquida ad invicem exquiſitam, imò mathematicam habent rationem; quis plaſtes, quis Architectus ſic iſta direxit? quis

tanto ordine, tantâ ſapientiâ iſta compegit ? Cœcam ſortem cœci & imprudentes ſequuntur. Repugnat tot inducere miracula, quot conceptus. Perſtat dem qui fuit ab æterno, nutus divinæ Voluntatis. Nullus cadit in Deum computus annorum, quia æternus eſt. *Mille anni quaſi dies unus apud ipſum*, inquit Pſaltes. Licèt quoad nos à Mundi creatione ad hæc tempora fluxerint plurima ſæcula, quam dicimus Mundi conſervationem, eſt ipſa, quoad Deum, ejus è nihilo eductio; ſic qui lapſu temporum & diſcrimine evolvuntur homines, omnes in minimo puncto, primo creationis totius orbis puncto creati ſed involuti erant. Fingunt alii quaſdam leges, quibus natura permiſſa regitur. Deum Epicuri dixeris, qui de opere ſuo minimè ſollicitus, ſecurum agebat Ævum. Omnis lex eſt voluntas ejus, quæ non eſt temporum varietatibus obnoxia, quòd ea ſit æterna, neque poſſit unquam mutari. Ergò quantò rectiùs aſſerimus, animantium generationem à ſimplici evolutione eſſe deducendam : hæc, temporibus non obnoxius Deus, obnoxia fecit temporum vicibus. Igitur ſeminum ſpiritus ſubeunt embryonis exiles canales, ratione ætatum majori minori-ve quantitate. Illi ne errarent in incertum, ſequi coguntur Canalium mechaniſmum, nec poſſunt deſultoriè divagari. Certam formam nanciſcuntur, coacti ſubire vias tubulorum illis excipiendis aptatorum. Alii aut miracula comminiſcuntur, aut corporum compagem relinquunt cœcæ Epicureorum fortunæ. Microſcopio fit quaſi nova noſtræ opinioni virium & luminis acceſſio. Datum eſt quadantenus introſpicere quid poſſit in *minimis* mens ſuprema. Patuit oculis hominum quaſi novus Mundus. Quot novi infinitè minores fortè paterent, ſi mentis vires & corporis induſtria non deficerent! hi nos æternum latebunt. Quæ deprehenduntur animalcula, millies tenuitate ſuperant aciem oculorum acerrimam; eaſdem obeunt, quas grandia animantia, functiones. Ergò Geneſis omnium viventium in punctum, ſed maximè fragile coarctata, fragilibus concluſa involucris, exilibus pediculis inhærens, alia non eſt à ſimplici partium evolutione.

III.

ATQUI in fœminâ ſalaciori tam tenera corpuſculi membra diſturbantur, concutiuntur, comminuuntur tum animæ tum corporis commotionibus; deterit acredo ſalium delicatiora ſtamina. Ipſæ tempeſtatum mutationes, teſte Hipp. quantumvis extraneæ, evertunt inchoatum opus generationis. *Si verò hyems auſtralis & pluvioſa ac clemens fiat, ver autem ſiccum & aquilonare, mulieres quidem, quibus partus ad ver inſtat, ex omni occaſione abortiunt; quæ verò pariunt, impotentes ac morboſos pueros pariunt, ita ut aut ſtatim pereant, aut tenues ac morboſi vivant.* Subtilis machinulæ fœtûs textura non fert impunè quamlibet commotionem : Aphor. 12. Sect. 3.

pulli in ovis gallinæ tonitru interimuntur. Mulierum imaginationis vi sic fœtus afficiuntur, * ut hic natus fuerit, fractis brachiis, femoribus, & cruribus, quod reum mater spectavisset, cujus membra carnifex fregerat. Ille nascendo mythram Pontificiam carneam capite gestavit, quia gravida mater attentiùs fixerat oculos in pictam Tabellam S. Pii V. summi Pontificis; quod luculentius est argumentum tenerrimum esse embryonem? Quot abortiunt matres honestissimæ levi commotione corporis, distorto pede iniquo passu, æstu iracundiæ paulò vehementiori, perculsæ tristi nuntio, metu fulguris, &c. Scilicet vinculum, quo fœtus uteri parietibus adhæret, laxum est & leve primis saltem conceptionis temporibus, ferruminatur solo glutine quod stillat ex glandulis fundi uteri. Ovum per tubas Fallopii delapsum, absimile non est grano visci: nativo glutine circunseptum, maturum, deciduum ex frutice, ramo vel trunco arboris, prout sors tulit, agglutinatur totâ hyeme; redeunte gratâ veris tempestate, sensim, rupto involucro, prodit nova planta, fronde viret novâ & agit radices: istis cortex, cui adhærescit, paulatim diducitur, dein terebratur arboris lignum durissimum ad intimam medullam: sic frutex peregrinus fit hospes, succum, quo nutritur, sugit alienum. Exemplo inter humana quid opus est ad embryonis probandam teneritudinem. Quot in vegetabilibus requiruntur conditiones ut embryo excludatur, adolescat, & perfectam adipiscatur maturitatem? Una aut altera ex plurimis si desit, perit germen, perit spes omnis annui proventûs & Agricolarum.

* Malebranchius.

IV.

PORRO Mulier nata ad generationem, stimulis acribus fertur in Amorem.

Ovid. *Fœmineo magis est usu Venus effera sexu,*
Mitior illa Viris.

In amore non temperant, quibus sunt acres humores, calidum cerebrum, sicciora uterus & muliebria. Gignitur foveturque immoderatus Veneris appetitus ab orgasmo spirituum & sanguinis. Ferociam quasi igneam concipiunt, undè effrænis salacitas. Virgines Milesiacæ se suspenderunt, fœminæ Lugdunenses in fluvios se præcipites dedêre, quod improbæ Veneri sacra facere non possent. Quam non sic urget furiosa Venus, sed œstro salacitatis molliori percellit, experientiâ doctus Salomon describit: *Mulier præparata ad capiendas animas, garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc juxtà angulos insidians ... procaci vultu blanditur,* oculis lubricis aspicit ad lasciviam arte & naturâ compositis.

Prov. c. 7.

Virgil. *Scintillant oculi, mala mens, oratio blanda.*

Musæus. Ο'φθαλμὸς δ' ὅδος ἐστιν, ἀπ' ὀφθαλμοῖο βολάων,
Ἑλκος ὀλισθαίνει, καὶ ἐς ἔσχατον ἦτορ ἱκάνει.

Oculi enim præcipuè ſunt ad amandum illices : in illis Cupido excubans jacula mittit.

Ut vidi , ut perii , ut malus me abſtulit error ! Virgil.

Utrique tuendo

Fœmina. Terent.

Certâ visâ duntaxat Virgine ,

Quam impotenter cœpit ardere.

Cæcus amans prodigii loco eſt ,

Qui nunquam visæ flagrabat amore puellæ. Juvenal.

His armis inſtructæ Mulieres ſalaces impetunt vecordes juvenes, *melle dulciora ſunt labia illarum.* Jocos ſectantur & riſus, dum cedit amor ex ipſarum voluntate ; triſtitiâ ſe macerant iratâ Venere , ſuffocantur , jacent attonitæ vix ducunt ſpiritum. Venere benigniori infelicium miſertâ , reviviſcunt , pallida mors per oculos oberrabat, paucis horis alacres paratæ ſunt alteri vitam impertire. Curioſiùs inquires, unde tot ſcenarum varietates ludantur. Amor , odium, ira , metus , triſtitia torquent per vices miſerum animum , turbulentæ rerum ſpecies perturbant aſſiduâ exagitatione deliram imaginationem , inteſtino bello ipſa ſe Mulier conficit , reficit pax ferè nunquam : florida primum , toroſa , macie conficitur. Audias ergo quò rem deducam , ex parvo principio luditur magna ſcena , ſæpè flebilis. Rugoſus eſt ductus uteri , patent in eo foraminula , quibus effluit liquor acris , vellicat ſale pungente uteri & vaginæ membranam. Hæc , ut aliæ omnes , à durâ meninge oriunda , vehementem & animæ conſiliat & corpori puritum aſſiduis criſpationibus. Tempore concubitûs liquor ejuſdem generis magnâ copiâ erumpit ex utero , uterque muriaticam refert ſalſedinem ; vagina, uterus, virga muliebris (ſedes præcipua dulcedinis amoris) penitùs nervoſa ſunt, & membranoſa. Hæc magnâ tentigine inflatur, prurit acriter. Cum abjectis pudoris , fortunæ, vitæ, diſcriminis rationibus, percita Mulier œſtro potenti ſalacitatis, cæco impetu in Venerem ruit; interim vir conatus edit vehementiſſimos ut ſuperet reſiſtentiam,quam ſibi rugæ vaginæ objiciunt. Tunc ſanguis & ſpiritus ubertim affluunt , ignem ſpirat Mulier , ebria voluptate vix retinet fugientem animam , expers ſenſationis vividiori ſenſatione. Sic Veneri ipſa litatur ; amatque hunc frequenter ludum ludere. Temperata vel ratione , vel ſic facta à naturâ novit impotenti libidini modum ponere, novit eam otio foveri.

Fac monitis fugias otia prima meis, Ovid.
Hæc ut ames faciunt.
Otia ſi tollas, periêre Cupidinis arcus ,
Contemptæque jacent , & ſine luce faces.
Quam platanus rivo gaudet , quam populus undâ ,
Et quàm limoſâ canna paluſtris humo ,

Tam Venus otia amat: finem qui quærit amori,
(Cedit amor rebus) res age tutus eris.

Salax, otio torpida versat diu noctuque teneros Poëtas, Fabulas amatorias quæ peccare docent, indulget cupediis, liquoribus ardentibus, boletis, &c. Venenum amoris haurit avidis faucibus, auribus, oculis; delectatur Amasiorum nugis venereis, ingenio, eloquentiâ, vincitur quia vinci voluit, sic vinci & dulce putat, & amasium vincere sibi gloriæ apponit. Si langueat imaginatio, novâ arte sopitos ignes exsuscitat. Fugientem cupidinem brevi revocat, redit protervus, jam sponte insanientem denuò instigat, exhausta incusat naturam quod vires ejus suis sint desideriis impares. Lassata non satiata; sic æstuat perpetuò sanguis, sic perpetuò rapitur delira imaginatio in voluptatis objectum, neque unquam etiam fruendo quiescit.

Unaque res hæc est, cujus quam pluria habemus,
Lucret. *Tam magis ardescit dirâ cuppedine pectus.*

Quomodo fœtus tenerrimus tot efferos ferret impetus? Quomodo molle corpusculum vim effugeret salium acerrimorum, quibus aliquando mater ipsa ad furorem adigitur, & insanam mentem, vesanum amorem, vitam cum morte paciscitur? Conceptio felix nec absolvitur nisi temperatis motibus, nec ad partum felicem potest adduci; imò si quibusdam fœminis plurimorum liberorum matribus habenda fides, gravidas confitentur se factas fuisse sine ullâ prorsus sensatione voluptatis. Ergo graviditati officiant, necesse est, motus perturbati salacitatis.

V.

EX dictis rectè deduxeris Mulierum salacium mores & ingenium. Corporis textura mollis est, subtilis, laxa, tenerrima; alacres & vividi sunt motuum impetus, sed debiles, & brevi remittunt; acutiores sunt sensationes; in viris paulò obtusiores: istæ ideò ruunt ardentiùs in sensuum voluptates, illis magis mancipantur. Vix unquam mulier castissima oratione de rebus amatoriis aut non subrisit, aut seriò irata est, si sua adfuerit linguæ verecundia, suus habitus sit honos auribus; junior salax, linguâ prompta, dicax, verbosa recludit dicenda tacendaque, imprudens aliena prodit, sed taciturnitate obstinatâ premit proprium amorem; si pateat, ipsi conciliat colores mendaci verborum artificio, hebes, torpida ingenium mutuatur ab amore. Ut amor proprium imaginationis vitium est, ab illâ torquetur miserabiliter.

Nam si abest quod ames, præsto simulachra tamen sunt
Illius & nomen dulce obversatur ad aures,
Lucret. *Ulcus enim vivescit & inveterascit alendo,*
Inque dies gliscit furor, atque ærumna gravescit:

Namque in eo spes est, unde est ardoris origo,
Restingui quoque posse ab eodem corpore flammam.
Ut bibere in somnis sitiens cùm quærit, & humor
Non datur, ardorem in membris qui stinguere possit;
Sed laticum simulachra petit, frustràque laborat,
In medioque sitit torrenti flumine potans:
Sic in amore Venus simulachris ludit amantes.

Sic vanis imaginibus illudi sibi patitur misellula. Hinc morosa fit, levis.

Nolunt ubi velis, ubi nolis cupiunt ultrò. Terent.

Imperiosa, audaci animo, altera venefica Circe, altera Medæa furens.

Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas. Juvenal.

Injuriarum acerrima vindex & memor, ut nullus impunè tulerit qui aggrediatur vel ejus frænare amores, vel interturbare; graves miser dabit pœnas; sed desit potestas, non desit vindictæ voluntas. Tenuis & è plebe pœnas à seipsâ repetet, conficiet se mœrore, morbos ultores accerset, icterum, pallidos colores, furorem uterinum. Sine amore felicem non putat se vitam posse traducere; non amare, ipsi vivere non est.

Aliquo modo si impetrare non quibo, consciscam Plaut.
Lethum, sine illo scio me vivere non posse.

Sed votis potiri si detur, si Venus benignior aspiret, toxica miseræ voluptatibus improba miscebit.

Medio de fonte leporum Lucret.
Surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat,
Aut quod conscius ipse animus se fortè remordet.

Pœnitere tanti non erat.

Ut melius vigilare sit ante Idem Lucr.
Quâ docui ratione, cavereque ne inliciaris.
Nam vitare, plagas in amoris ne laciamur,
Non ita difficile est, quàm captum retibus ipsis
Exire, & validos Veneris perrumpere nodos.

Hi sunt salacium mores, hoc ingenium, hæc incommoda. Sed hoc omni infortunio turpius & miserabilius: quæ amorem juvenes protervè coluêre, eidem student, ut possunt, vetulæ.

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem Horat.
Testa diu . . . . . .

Istas animi & corporis salaces fæminæ patiuntur perturbationes, non rarò sibi damnosas, semper fœtibus tenuibus, molis exilis, summæ teneritudinis exitiales.

Non ergò, quò salacior Mulier, eò fœcundior.

785

Domini Doctores disputaturi.

M. Antonius le Moine.
M. Petrus-Antonius Lepy.
M. Elias Col de Vilars.
M. Henricus Besnier.
M. Joannes Besse, Medicus Domûs Regiæ.
M. Antonius de Jussieu, Regiæ Scientiarum Academiæ & Botanices in Horto Regio Parisiensi Professor.
M. Claudius du Cerf.
M. Claudius Vergne.
M. Matthæus Thuillier, antiquior Scholæ Magister.

Proponebat Parisiis JACOBUS-JULIANUS CARREL, Constantiensis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1720. à sextâ ad meridiem.

Typis J. QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.